

**DIE VIGESIMA TERTIA IUNII
DE S. ETHELDREDA REGINA VIRGINE,
ABBATISSA ELYENSI IN ANGLIA.
ANALECTA
Ex Mss. Chronicis Episcoporum
Elyensium.**

§. I. Ex continuatione Richardi Prioris.

[165] Mortuo Hervæo, qui anno MCVIII ex Abbate factus Episcopus, postquam viginti duobus annis sedisset; [Nigellus, ab Elyensibus petitus Episcopus,] Rex Henricus tertio post anno, Christi 1133 Monachis petentibus concessit, ut non alium, sed quemdam suum Clericum, Nigellum Thesaurarium, eligerent. Igitur anno tertio obitus prædecessoris sui, a Willielmo Cantuariensi Archiepiscopo est consecratus Kalendis Octobris..... Hic Henrici successorem, Regem Stephanum timens offensum, ideo quod seditiosos patriæ adversus eum a instigaret (præceperat namque Rex suis, bona Episcopi undique diripere) tanti discriminis se reum esse ingemuit, Deique misericordiam & S. Etheldredæ suffragium flebilibus vocibus implorabat assiduus; ut quæ suis in omni tribulatione non desinit misericorditer subvenire, aliquando propter amorem Domini sui Iesu Christi dignetur ei adesse, in præsentis tribulationis articulo. Et quidem sensit sibi celeri effectu esse collatum, [grandi mulctatur summa,] quod devoto affectu exorabat, per sanctæ Virginis meritum. Nam cum diu ad Regem nemo de illo auderet ferre sermonem, casu advenerat ad Episcopum facundissimus Clericus quidam, præclarus genere, a Rege honoratus & valde amatus, nomine Richardus de Ponte-cardi. Hic negotium pro Episcopo suscepit, ad Regem detulit, delatum ad effectum

perduxit; ut secure & sine dubio ad præsentiam Regis veniret obtinuit; & quamcumque posset cum illo pacem vel conditionem stabiliret: quod & factum est tamen sub obtentu pecuniæ trecentarum videlicet marcarum argenti.

[166] Has ut ille undique corraderet, distractis etiam vasis sacris, [ad quam corradendam adjuutores] vel Monachis ad ea redimenda compulsis, auctores & adjuutores ei erant Jocelinus & Osebertus Clerici, ambo Dei & S. Etheldredæ inimici: qui non cessabant bona ejus diripere, diminuere, alienare, & damni plagam incæstimabilis infligere eis curabant, quod & in multis crudeliter impleverunt. Et quidem Jocelinus, ductor belli, summus in consilio, versutus ingenio, primus in dolo, nulli secundus in flagitio; postquam noctu Virginis Ætheldredæ tumultum temerario ausu irrumpere præsumpserat, sicut legitur quod omnis violenta prædatio efficitur cum tumultu: [spoliant & violant tumultum Sanctæ] & ipse totus furia invectus audacter invasit, manum primus apposuit; aurum, argentum, lapides pretiosos, ornatum omnem in securi & ascia dejecit; destinatos in scelere [ministros] arguendo obsecrat, sine mora Domini Episcopi jussa implere; nesciens miser quod repente divinitus, in ultionem sacræ Virginis Etheldredæ, gravissimas foret pœnas luiturus. [Isa. 9, 5] Nam dolore nimio pedum improvise occupatus, quem medici podagram Græce nuncupant, gressu omnino destituitur, talique infortunio longe decoctus, correptionem de cælo impatienter ferens, noluit adhuc intelligere ut bene ageret, nec de pravæ consuetudinis errore reversus est, quo tempus Sacerdotii sui vivendo luxuriose consumpserat, & substantiam Præposituræ suæ in superbia & abusione totam dissipaverat: unde in paupertate & ærumna vitam finivit.

[167] Et non tantum ille, sed quotquot fuerunt conscii, [quorum Dux podagra plectitur & paupertate,] de sua

temeritate minime sunt compuncti: unde nunc perit memoria eorum cum sonitu, quod debitis locis plene describam. Alius vero de concilio malignantium, Wilielmus de Scelford Comes, in universis paratus ad scelus, cum ligonibus, cum malleis, cum fabrorum instrumentis temere processit super feretrum, secundus ipse manum injecit, æs inde tulit, sed factum doluit mox amarissime. Cum enim esset dives valde & nullius egeret; [uti & socii omnes alli;] casu in tantam devenit inopiam, ut nec etiam vitæ necessaria haberet: consumptisque omnibus quæ illius erant, quid ageret, quo se verteret ignoravit. Tandem diu multumque postulans, vix a Fratibus in Ely meruit ad Monachatum suscipi: ubi in luctu & lacrymis, & vigiliis, & orationibus persistens, reatum ingemuit, & reliquum vitæ spatium vere pœnitendo explevit.

[168] Deinde Prior Thumbertus, & Secretarius Radulphus, consentientes consilio nequam; [necnon Prior & Secretarius eis sese non opposcentes.] qui murum se ponere debuerant pro domo Israël, sed favore & humana decepti gratia, Episcopo in desideriis animæ suæ paruerant (cum Deo esset magis parendum quam hominibus) quia hominibus placuerunt confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, sicut mirabilis patefecit eventus. Subito enim justis iudicis Dei vindictam simul & reatus supplicium senserunt, & vexati sunt tribulatione malorum & dolore, infirmati videlicet; nec fuit qui adjuvaret. Ex his superior Paralyti morbo incurabili percussus, omni pæne membrorum motu ac linguæ privatur officio; alter vulnere correptus letali, præ nimia doloris angustia, facies illius tumescere cœpit; quæ totam maxillam verterat in saniem, & molestiæ gravitas in vulnus dissipaverat. Sicque continuo in suppliciis gementes, utrumque inutilem reddit languor: quibus cum nulla medicorum experientia proficeret, longe exitaliter cruciati dolendo exitu vitam terminaverunt, Deo vindice & S. Ætheldreda, ideo quod posuerint adversus eam mala

pro bonis, & odium pro dilectione, qua eos enutrivit & exaltavit, ipsi autem contemnentes spreverunt eam.

[169] In tempore prædicti Episcopi Rex piissimus Anglorum Stephanus mortuus est, [Ille empta filio Thesauraria regia,] cui successit in regnum cognatus ejus Henricus, quem post se heredem elegerat.... collegit autem æs multum nimis, aurum & argentum in expensas militum, ad Tholosam civitatem Aquitanicæ impugnandum. Cernens vero Episcopus Nigellus Dominum Regem in tanto negotio pecuniis egere, conductum accepit, atque ab eo ministerium inter Curiales. Thesaurariam scilicet, emit quadringentis libris filio suo, Richardo nomine, apud monasterium in Ely educato, magnæ calliditatis & prudentiæ juveni, a quo & per quem domus illa non parvis lædebatur adversis. [Lincolniensi Episcopo vendit pallam Sanctæ ab Emma Regina donatam:] Cumque non haberet unde redderet, vestes ac vasa ac quæque concupiscibilia de domo S. Etheldredæ sumpsit; dicens sibi semper sufficere quæ illic erant. Insuper & pallam eximiæ paraturæ auri & gemmarum, quam Emma Regina in velamentum sepulcri sanctæ Virginis obtulerat, accepit; atque Monachis invitis Episcopo Lincolniensi exposuit pro nummis: quam similiter altera vice cum aliis bonis ecclesiæ transposuerat; sed Monachi ex suis inopiis, ne tantus ornatus fraudaretur a loco, redemerant.

[170] Contigit itaque tunc Episcopum d Lincolniensem, pro causis suæ Ecclesiæ Romam ire, Præsulatum agente Domino Papa Eugenio, cui ob gratiam illius captandam offerre voluit eamdem pallam. [quam cum Eugenius Papa reddi jussisset,] Sed ut vidit Dominus Papa Apostolicus, & ipsam diligentius intuens clara luce, pretium tanti vestimenti admiratus, intellexit de aliqua famosa & antiqua fuisse ecclesia. Inquisivit unde ornamentum tale veniret: & cum deprehendisset de Ely fuisse, sub interminatione Apostolica jussit illuc, remota omni

occasione, suum reportare ornamentum. Expletis ergo necessariis, ex quibus compulsus est Episcopus Romanos adire apices, Angliam rediit, [referens] quam secum detulerat pallam, & aurum cupiens de ea emolire. Invenit autem aurifices & aurifusorios qui votum suum de opere explerent. Manus illi apponunt, forfices applicant, pretiosum aurifrisium scindere parant, [frustra ab ea ille aurum resecare nititur:] sed ut lapis aut æs contra acutissima ferramenta dirigit. Tentarunt iterum atque iterum: sed inanis fit conatus ipsorum: dicimus enim atque confidimus, ex voluntate sanctæ Virginis fieri debuisse. Nam Monachi illico velum Matris suæ cum gemitu lamentabantur fuisse abstractum, & dato pretio quod injuste amiserant denuo receperunt, gratias agentes illi pro cunctis beneficiis ejus.

[171] Postea memoratus Episcopus fuit suspensus a Papa Adriano pro bonis Ecclesiæ suæ dispersis, & ab eodem Papa a sententia suspensionis relaxatus, [cetera quoque ablata cogitur restaurare.] precibus & postulatione Regis Henrici & Archiepiscoporum & Episcoporum Angliæ tali tamen conditione, ut in præsentia Theobaldi Archiepiscopi Cantuariensis jurejurando promitteret, ut bona Ecclesiæ suæ, pro quibus suspensionis sententiam meruit, restauraret, alienataque & abstracta ad ecclesiam revocaret..... Item prædicto Episcopo mandavit Thomas Cantuariæ Episcopus, quod Sacristariam Elyensem, quam cuidam Clerico uxorato tradiderat, Monachis restitueret.

§. II. Ex continuatione Elyensis Anonymi.

[172] Prædicto Episcopo successit Galfridus Rydel, [Sub novo Episcopo restauratur feretrum Sanctæ] Archidiaconus Cantuariensis Ipse multa ornamenta, per prædecessorem suum abalienata remetit, & duo latera feretri S. Etheldredæ, & partem tumuli de argento

perpulchre reparavit. Quartus ab hoc Galfrido alius Galfridus de Burgo Episcopus sextus anno MCCXXV consecratus,.... fecit magnam partem tumuli cum feretro S. Etheldredæ inaurari; ad cristam autem faciendam dedit magnum & magni pretii discum argenteum. Episcopo autem decimo sexto, Joanne Hothum Sedem tenente, Frater Alanus de Walsyngham anno MCCCXXI ex Supprie factus Sacrista, munus hoc administravit usque ad XXV diem mensis Octobris anno Domini MCCCXLI fere per viginti annos: in cujus tempore ... in nocte ante diem festi S. Ermenildæ, post Matutinas in capella S. Catharinæ decantatas, eo quod in choro propter imminentem ruinam illas decantare Conventus non audebat; facta processione ad feretra in honorem S. Ermenildæ, [& ruente super chorum turri] & Conventu in dormitorium regrediente, vix paucis Fratibus in lectulos suos ingressis; ecce subito & repente ruit campanile super chorum, tanto cum strepitu & fragore, veluti putabatur terræmotus fieri, neminem tamen lædens nec opprimens in ruina. Aliud etiam contigit mirabile, miraculo potius adscribendum quam naturæ, quod in illa horribili ruina & lapidum collisione maxima, unde tota fere tremebat Elyensis villa, illa tamen pulchra & magna fabrica, [illius Mausolæum manet integrum.] eminens super sanctarum Virginum sepulcra, protegente Deo & meritis suæ dilectæ Virginis Ætheldredæ, ut speratur, ab omni læsione servata est & fractura, unde Christo sit gloria.

[173] Ex hoc eventu, damnoso nimis & lamentabili, Alanus de Walsingham Sacrista dolens vehementer & tristis effectus, [Restaurandæ ruinæ intento sacristæ] quo se verteret, vel quid ageret, ad tantam ruinam resarciendam, nesciebat. Sed resumpto spiritu, in Dei adjutorio & suæ piissimæ matris Mariæ, necnon & in meritis sanctæ Virginis Etheldredæ plurimum confidens, manum misit ad fortia: & primo lapides & ligna quæ

conconsiderant in illa ruina, cum magno labore & expensis variis extra ecclesiam fecit abtransportari, & ipsam de pulvere nimio qui ibi erat celeritate qua potuit emundare, & locum in quo novum campanile fuisset constructurus, per octo partes arte architectonica mensuratas, in quibus octo columnæ lapideæ, totum ædificium supportantes erigerentur, fodere fecit.....

[174] [nova accedit afflictio] Eodem anno quo campanile corruit, aliud contigit infortunium, sibi valde tædiosum: quia non obstante urgente necessitate, pro prædictæ ruinæ reparatione, plus quam viginti libras argenti, sicut fatebatur, exposuit in inquisitione hujusmodi negotii & prosecutione. Nam quidam malignæ mentis homines, filii diaboli, suæ salutis immemores, ingressi sunt nocturno tempore S. Etheldredæ basilicam; & Crucem auream, quam contulit gloriosus Rex Ædgarus Elyensi ecclesiæ, ob signum libertatis suæ atque munificentiae, patibulo latitudinis unius palmæ affixam cum duabus imaginibus de auro, & cum laminis aureis ac mirifico opere auri purissimi trifarie locato perulis & gemmis pretiosis adornato, duos etiam Textus eum laminis argenteis furati sunt: & ad partem Australem turris exterioris in loco dicto Quenesboure Crucem prædictam & imagines aureas, omni ornatu pretioso de patibulo, [furtim sublata Cruce aurea,] necnon & laminas aureas de Textibus abstraxerunt; & nuda ligna furtive spoliata ibidem reliquerunt; & dictam Crucem cum imaginibus, & quidquid residuum quod pretiosum erat, secum Eondonum detulerunt.

[175] Et cum ibidem pervenissent, ille auctor sceleris & doli artifex, [quam prædo frustra conatus frangere in cloacam abdit,] qui major erat inter eos, prædictam Crucem arripuit, & brachia ad corpus fere reclinavit, super incudem posuit, malleum arripiens manum erexit & dictam Crucem cum imaginibus frangere & conflare

cogitavit. Sed in ipso conatu operis ipsum virtus Christi & Mariæ Virginis ita corripuit, quod manum ad percutiendum erectam deorsum dirigere non potuit. Unde stupidus & quasi amens effectus, pœnitentia quadam infructuosa dixit: Timeo ne istud execrabile factum confusio fiat omnium nostrum. Et arripiens Crucem & imagines, panno lineo involvit, & in quandam cloacam irreverenter & latenter projecit & abiit. Sed justum Dei iudicium non sinebat eum in suis operibus perversis diutius delitescere: imo modicum post cum suis complicibus captus est, & apud Newgate [civitatis] Londoniensis cum iisdem positus in carceribus. Ubi cum parumper in vinculis jacuisset, [& in carcere positus] visio quædam una nocte sibi apparuit, propter quam in terrorem maximum & stuporem versus, horridum nimis & terribilem clamorem emisit.

[176] Eo audito, præ timore exterriti sunt custodes & carcerati omnes; [graviterque a Sancta per visum increpitus,] & accensa lucerna ingressi sunt carcerem, tanti clamoris tamque horribilis quærentes causam. Quibus miser ille respondit: Apparuit mihi jam Virgo Deo dilecta Etheldreda sancta, vehementer me objurgans, & terribiliter comminans, pro sacrilegio quod commisi in ecclesia sua Elyensi. Et exposuit eisdem res gestas per ordinem, qualiter prædictam Crucem & imagines aureas de Elyensi tulit ecclesia, & panniculo involvit lineo, & in cloacam projecit, non designans eis locum usque ad Fratris Roberti Bykeling Feretrarii & Monachi Elyensis adventum. Qui quidem Fr. Robertus loca diversa perambulavit, ad inquirendum si forte alicubi sanctas Reliquias invenire posset. Tunc Londonii, nutu, ut creditur divino, adfuit: & auditis hujusmodi rumoribus ad locum carceris properavit. [Monacho Elyensi locum indicat:] Quo veniente, palam sibi & cunctis adstantibus locum, ubi dictam Crucem & imagines projecit, indicavit: & continuo dictus Fr. Robertus cum Balivis civitatis ad locum

designatum perrexit; & illas sanctas Reliquias de illo loco spurcissimis nimis sordibus & fœtoribus abominabiliter inquinatas assumpsit, & majoribus civibus illius civitatis ostendit. Coram quibus tantam invenit gratiam, [qui Crucem domum refert.] quod Crucem & imagines secum ad Elyensem detulit ecclesiam. In cujus adventu, ob Crucis reverentiam, totus Conventus ad valvas ecclesiæ processit ei obviam. Et d. Fr. Robertus ibi, coram Clero & populo, de d. Crucis inventione & miraculis factis ædificatorium retexit sermonem.

[177] Prætereundum non est sub silentio quoddam miraculum, [An. 1333 Vicarius Westoniensis] quod fecit Deus ad ædificationem multorum, meritis suæ sanctæ Virginis Etheldredæ, anno Domini MCCCXXXIII. Vir quidam [erat] vitæ laudabilis in villa de Weston, juxta Spaldinge Lincolniensis diœcesis natus & educatus, nomine Henricus, qui a juventute sua semper creverat in melius, ita quod per processum temporis in sacris Ordinibus constitutus, in Sacerdotem suis exigentibus meritis erat demum ordinatus. Hic postmodum, propter conversationis honestatem, ac morum probitatem, ad Vicariam ecclesiæ de Weston fuit præsentatus, & in ipsam Vicariam Vicarius inductus & institutus: qui ecclesiam suam per multa dierum spatia honestissime rexit, & parochianos suos verbo pariter & exemplo saluberrime instruxit. Sed anno Domini MCCCXXXII contigit Vicarium adversa valetudine detineri, [angina letali correptus,] & morbo, qui squinancia dicitur, in collo, gutture & maxillis cœpit vehementer intumescere, & gravi vexari dolore; ita quod loqui non poterat, vel aliquid aliud præter salivam, & hanc de difficili deglutire: unde omnes amici & familiares sui, de vita ipsius desperantes, nihil aliud nisi mortem in proximo sibi imminentem destinabant.

[178] Erat autem amicus suus vir religiosus, D. Joannes de Bercham, Monachus & Supprior ecclesiæ Conventualis de Spalding. [voto S. Etheldredæ facto,] Hic audiens ipsum dira ægritudine laborare, venit ad eum visitandi gratia, & si in aliquo poterat confortandi. Et accedens ad locum in quo jacebat, quæsivit de statu suo: sed non respondit ei verbum, eo quod loqui non poterat: visum tamen & auditum ante omnes alios sensus, præter gustum & loquelam, sanos & integros habebat. Et dixit ei vir religiosus: Henrice, audistine aliquando de illa gloriosa Virgine Etheldreda de Ely, qualiter Deus per merita ipsius multa & varia operatur miracula; præsertim de illo morbo, in quo tu jam laboras, qui dicitur squinancia, quoniam ex hac infirmitate & ipsa decessit? Est etiam ibi quædam benda, quæ in collo moriendis fuit circumligata, celerem patientibus hanc infirmitatem, meritis sanctæ Virginis conferens sanitatem. Ideo tibi consulo, sicut amico carissimo, eo quod loqui non vales, tota mentis devotione Deo & beatæ Virgini te commendes, atque ipsam apud Ely te visitaturum toto corde devoveas, si te a lecto ægritudinis tuæ convalescere & sanum fieri contingat. Et ille, elevatis oculis ac manibus devotione qua potuit erga Deum & sanctam Virginem ostendit, & per signa exteriora, quod consilio dicti senis acquievit; & ille confortans ægrotum simul & exhortans recessit.

[179] Sequenti autem nocte cæpit paulisper dormire: & Sanctimonialis quædam femina, [ab eadem sibi apparente subito sanatur] decora valde, sibi apparuit dormienti, sciscitans ab eo qualiter secum erat: & confortavit eum, & apprehendens digitum suum proprium in imo gutturis sui forinsecus posuit; illum leviter attrahens sursum, per locum ubi vim sentiebat doloris, quousque digitus pervenisset ad fauces infirmi: & statim disparuit. Ille vero confestim evigilans oscitavit fortiter; & erupit in os ejus quædam massa congelata, instar ossis vel lapidis indurata: & exponens illam in manum suam,

statim locutus est, vocans famulum suum, & dixit ei: Cito accende candelam, & veni ad me. Et accensa candela venit ad dominum suum, admirans valde quod ita subito loquebatur. Et ipse aperiens manum suam, vidit massam illam, habentem mensuram unius pollicis & amplius in longitudine & in maxima quantitate. Et convalescens de diebus in dies, sanus factus est: narravitque amicis suis & aliis quamplurimis per ordinem illam quam viderat visionem: quoniam per merita S. Etheldredæ a sua liberatus est infirmitate: & postmodum nacta opportunitate, vota, quæ pollicebatur Deo & S. Etheldredæ, decrevit maturius explere.

[180] Et assumens massam illam sic congelatam, iter versus Ely arripuit. Et cum ibi pervenisset, [atque in Ely veniens,] ad feretrum sanctæ Virginis accessit, sua persolvens vota laudis. Quo peracto fecit sibi accersiri Monachum quemdam. F. Willielmum de Spalding, quoniam sibi notus erat & familiaris, a tempore quo idem F. Willielmus fuerat secularis; narravitque sibi & confratribus totam istius miraculi seriem, rogans attentius, quod Priori & Conventui istud innotesceret: & addidit, dicens: Non sum ego falsidicus, [testatur miraculum in se factum.] teste Deo, ut narrem vobis blandiendi causa falsa, vana & frivola: sunt manifeste vera & aperta, quæ circa me Deus, meritis suæ sanctæ Virginis, operatus est magnalia. Et continuo d. massam congelatam tradidit præd. F. Willielmo, deprecans eum assidue, ut sumptibus suis faceret argento illam includi: & ad feretrum S. Etheldredæ, ad perpetuam hujus miraculi memoriam dependi: quod & factum est. Supplicavit etiam Fratribus, ut ad honorem & reverentiam S. Etheldredæ, si qui illorum in partibus suis advenissent, ad illum familiariter declinarent; quoniam illos gaudenter susciperet, & eorum adventu lætus foret. Et valedicens Fratribus ad propria recessit....

[181] Tempore venerabilis Dom. Thomæ Elyensis Episcopi, [An. 1349 miles graviter vulneratus in Syria,] quoddam contigit miraculum, huic exili opusculo merito annectendum. Regnante Domno Eduardo, tertio post conquæstum Rege Anglorum victoriosissimo, anno Incarnationis Dominicæ MCCCXLIX & regni ejusdem Regis XXIII, ac Pontificatus ejusdem Patris nostri Thomæ anno V; quidam armiger, natione Anglus, in rebus bellicis strenuus, & arma bellica ab adolescentia sua viriliter prosecutus, optimi viri filius Ioannis de Hynton, Hugo vocitatus, cum fratre suo D. Willielmo de Hynton Milite in transmarinis partibus & in regno Hispaniæ, in exercitu Christiano contra inimicos Crucis Christi properavit ad bellum: qui cum ceteris Christianis contra Saracenos viriliter dimicavit. [invocata Sancta,] Contigit autem in illa die bellum vehementer urgeri: & cum varius sit eventus bellorum (quia nunc hos nunc illos consumit gladius) multi utriusque exercitus corruerunt: inter quos Miles ille strenuus cecidit Willielmus de Hynton; & ipse Hugo in illo conflictu lancea dira confossus est in osse lumborum suorum: & ita firmiter & profunde d. lancea intravit in osse, quod illam evelli pati non potuit præ dolore. Unde de humana ope desperans, ad divinum confugit adjutorium, S. Ætheldredam crebrius & devote invocans, ac suppliciter efflagitans, ut Deus meritis, almæ suæ Matris, ipsum in illa arcta necessitate, sua consolaretur pietate.

[182] [non solum ab inhærente lancea liberatur,] Et statim post manum misit ad lanceam, & illam ita leviter extraxit, acsi in carne solum fuisset infixæ. Sed ex nimio labore vulneris, ac in illo conflictu oppressionem fatigatus, in lectum decidit graviter infirmatus. Qui per medicos & chirurgos varios medicinam secundum artem suam sibi porrigentes, nullo illorum potuit curari medicamine: sed semper interim invocavit dilectam Matronam Etheldredam, ut suis precibus sacrosanctis Dominum

Deum exoraret, quod a dira ægritudine, quam patiebatur, ipsum clementer liberaret. [sed etiam a relicta inde debilitate summa,] Illi vero in oratione & devotione perseveranti, apparuerunt quadam nocte quatuor venerabiles matronæ Religiosæ: quarum una, ut sibi visum fuerat, ceteris honore præcellens, pannum sericum, ad modum manutergii, vario colore diversimode listatum gestabat in brachiis; dixitque ad illum, Amice, qualiter est tecum? At ille: Valde male. Et confortans illum dixit: Confide, fili, sanaberis in brevi. Et accipiens pannum sericum inclinavit se, & involvit lumbos ejus, hiante vulnere sauciatos. Et sic illo tactu confortatus est, quod vix aliquem sentiebat dolorem: & sicut postea fatebatur, quod ipse numquam in tota vita sua, tam delectabile tamque suave corpori vel carni suæ aliquando sensit adhæsisse.

[183] Et erigens se Virgo illa venerabilis; ait ad illum: Ubi est lancea illa, [votumque ut jussus erat solvit in Anglia,] cum qua vulneratus fuisti? At ille respondit dicens; Nescio, Domina mea reverenda. At illa: Quære illam diligenter, & inventam offer ad me apud Ely. Et continuo quatuor illæ Matronæ venerabiles disparuerunt: & ipse paulatim convalescens, nihil medicinæ ulterius vulneri apposuit, nisi tantum lanam & oleum: & tempore modico sanus factus est, per merita (ut creditur) S. Ætheldredæ Virginis. Qui etiam d. lanceam quærere fecit diligenter per triduum: sed tandem inventa est in custodia cujusdam Militis prædicto Hugoni amici familiaris. Assumens itaque caput lanceæ prædictæ, detulit illud secum in Anglaim; & cum venisset ad Elyensem insulam, ipse cum fratre suo Radulpho de Hynton, ad istam pervenit ecclesiam, & ad feretrum S. Ætheldredæ illud obtulit cum summa devotione, ac super paxillum ferreum ibidem ad miraculi hujus memoriam infixit.

[184] [Monachus ex angina moriturus,] Aliud quoque præclarum contigit miraculum..... r Vir quidam bonus & religiosus, D. Ioannes Lavenham, Monachus ecclesiæ sancti Regis Edmundi, circa Passionem Domini in Quadragesima cœpit infirmari, & morbo squinanciæ in collo, gutture & maxillis graviter intumescere & vehementer vexari; ita quod manducare vel bibere seu etiam loqui non poterat, unde nil aliud nisi mortem ipsius credebant æstimandum: quapropter certi Fratres de Conventu deputati fuerunt ad custodiendum, confortandum & cum opus fuerit consolandum Fratrem infirmum, sicut moris est inter Religiosos facere Fratribus, in extremis laborantibus: [post votum Sanctæ factum,] ut diligenter observantes statum infirmi, proponendo sibi crebrius verba ædificatoria de passione Christi, de misericordia Dei, & alia huiusmodi consolatoria, expectarent aut Fratris languidi meliorationem aut ultimi spiritus exhalationem. Ipse vero interim ex toto corde, jugiter & devote in mente sua, eo quod loqui non valebat, Deum deprecatus est, ut meritis S. Ætheldredæ dolorem, quem dire passus est, leniret; & si suæ pietati complaceret, sanitati iterum restitueret.

[185] His itaque gestis circa Paraseven Domini, ægrotus ille paululum cœpit dormire, & visionem quamdam habuit, quod fuit in una parva capella, [ab ipsa apparente jubetur ei offerre anulum suum:] quæ infra illam ecclesiam fuit statuta; & ibi quædam venerabilis Matrona, Religionis habitu induta, sibi apparuit: quæ confortans eum, collum, guttur & maxillas, ubi dolorem sentiebat, circumquaque manibus suis leviter palpavit, & hoc facto se egredi dissimulavit, & paulo post reversa, dixit ad illum: Duos annulos habes aureos: offer unum ex his apud Ely ad me, quoniam illum habere volo de te. Et his dictis disparuit. Et statim evigilans clare locutus est, vocans suos, quos habuit secum pro custodia sua deputatos. Qui audientes illum loquentem, [& subito

sanatus] admirati sunt valde; & magno repleti gaudio, sciscitabantur ab eo, quomodo tam cito loqueretur; qui multis retro diebus verba proferre non potuit. Et ille, exponens eis visionem quam vidit, quod per merita S. Etheldredæ cito sanus fieret, [in Ely venit.] asseruit. Unde quidam earum, prætextu istius miraculi, S. Ætheldredam apud Ely nudis pedibus peregrinando se visitaturos promittebant, alii vero alia vota emittebant: qui postmodum apud Ely venientes vota sua devotissime persolvebant. Denique ille præfatus Dominus Ioannes, cum sanus fuit & validus corpore, iter apud Ely pedibus gradiens cœpit arripere, illum anulum aureum, per S. Etheldredam requisitum, secum deferens. Quo perveniens d. anulum, saphyro nobili ornatum, habentem & minuta grana lapidum diversorum in circulo per gyrum, obtulit S. Ætheldredæ maxima mentis devotione, ubi feretrum ipsius Virginis ostenditur populo venienti, ad honorem Dei & hujus miraculi ostensionem .